Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1341
Quelle:
Copyright:

Quidquid habet Celum: quicquid complectitur orbe
Claudit in angustum paruulus iste Liber.
Vnde refert fulgur, ventus, ros atque pruina,
Vnde procellosis corruat imber aquis.
Vnde soli motus reserat, cur terra metallis
Turgeat, arboribus, fontibus ac varijs.
Mille etiam causas potes hic dignoscere rerum.
Perlege iam Lector pace benigne fruens &c.

Autor *Bernardus Albigaunensis* (*d' Albenga*) Monachus Benedictinus diviserat Opus in 1230. breves *Articulos*, e quibus 8. priores periisse disco ex Indice *fol.* 62. p. 2. qui Scripti Titulum, Praefationem, praecipuos Autores, e quibus sua hauserat *Bernardus* &c. continebant. Incidit postea Codex in manus cujusdam *F. Herculani Mandoli Perusini* O. Erem. S. Aug. qui 8. illos Articulos praevios aut abolere, aut subplere cupiens alios substituit, inter quos Epistola dedicatoria ad Generalem sui Ordinis *Christophorum de Padua* virum celebrem, qui ab an. 1564. ad a. 1569. praefuit, et *Capitulum* I. in quo veluti correcturus *Bernardum* pro *Magistro* et *Discipulo* sat infeliciter, ut omnia, *Patrem* et *Filium* induxit. Nec defuit tamen *Bernardi Capitulum* I. quod sic incipit: *O preclarissimo et perdulcissimo mio Magistro, humillime te prego, che a quello io te domandero, me respondi, ad honore de Dio, et ad mia et de tutti Legenti eruditione et consolatione.* Respondet Magister: *Per fare cosa che a ti, et ad ciascuno sia grata, uolentera obtemperero a toe honestissime domande, quanto Dio immortale me concedera soa gratia et fortitudine, ni me pregrauera questa fatiga.* Atque ita ingrediuntur sermonem de Natura divina, angelica et Opere creationis primae diei. Caput II. III. IV. V. VI. expendit reliquas dies. VII. examinat situm et ordinem Elementorum et Sphaerarum coelestium. VIII. originem Roris, Pruinae, Grandinis &c. IX. et ultimum Longitudinem, Latitudinem, Climata, et Distantiam Locorum. Quae omnia adnexis sub finem Schematibus tabellaribus magna cura confectis illustrantur. Schemata haec antecedit *Conclusio* ad *Reuerendissimos Patres Ceruariensis*, quibus Opus suum dicat, et quos sui memores esse jubet *D. B. albigaunensis*. Hos iterum post Indicem Distichis 11. adloquitur:

Ceruarię quos templa tenent probitate uerendos
Hieronymi titulo, te Benedicte duce &c.
Hęc ego Bernardus scripsi, quem sanguis alumnę
Albingę genuit, sed Benedictus habet.